MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS V: 1.9. 1.11.)

Melk, 1471

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

one ista ut eripias me de manu inimici huius. Et hec dicens, cepit beatus Januarius in medio fornacis candentis cum sanctis angelis deambulare, benedicendo et collaudando patrem et filium et spiritum sanctum.

Cum autem audissent milites qui circa fornacem erant sanctum Januarium de camino ignis dominum collaudantem, timuerunt timore magno, et cursu rapidissimo arripientes nunciaverunt presidi dicentes: Rogamus te domine preses ne indigneris nobis. Audivimus enim vocem Januarii de camino ignis invocantis dominum suum, et magno terrore timore perterriti sumus in fugam conversi. Timotheus vero preses hec audiens, iussit caminum ignis aperiri. Et cum apertus fuisset, eructuabit flamma ignis et devorabit incredulam partem paganorum qui circa fornacem fuerunt. Sanctus autem Januarius apparuit in medio flamme ignis glorificans dominum Jhesum Christum, ita ut neque vestimentis eius nec capillis potuit dominari ignis. Timotheus vero cum hec audisset, iussit eum suis aspectibus presentari, cui et dixit: Quid est hoc Januari quod prevalescit magice tue quas facis? Per salutem principum ac statum rei publice, quia non adoravis deos magnos quos colimus, variis tormentis te faciam interire. Beatissimus Januarius respondit: Numquam bene tibi sit crudelis tyranne, nullo modo enim erit ut a veritate te alienet servus eius, ut pertimescens faciat quod dicis. Ego enim in domino sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. Et cum hec dixisset, iussit eum preses in custodiam reduci. Alia vero die mane facto iussit Thimotheus preses in foro eiusdem civitatis tribunal sibi parari, et sedens pro tribunali beatum Januarium ante suum conspectum adduci precepit. Cumque presentatus fuisset, Timotheus videns dixit ad eum: Quousque infelix non consentis sacrificare diis invictissimis et immortalibus? Accede iam et thura offer. Si autem nolueris, gladio te iubeam interfici. Et si potest deus tuus liberet te de manibus meis. Sanctus autem Januarius dixit ei: Tu nescis quia potencia dei magna est. Utinam temet ipsum ad penitenciam perduceres, ut vel sic indulgeret tibi dominus meus, quem dicis impotentem esse liberare me de manibus tuis. Sed hec dicens thesaurizas tibi iram in die ire. Preses quoque audiens et non tolerans hunc sermonem, iussit ut nervi eius a capite excluderentur. Beatissimus autem Januarius orabat dominum dicens: Domine Jhesu Christe qui ab utero matris mee non me dereliquisti usque nunc, ita nunc etiam exaudi me servum tuum ad te clamantem, et iube me presens seculum derelinquere et ad tuam misericordiam pervenire.

Hec cum orasset beatus Januarius, iussit eum preses in carcerem recipi, cogitans quem ad modum perderet eum. Sedulus itaque beatissimus Januarius noster in arta custodia carceris a militibus custodiebatur. Quod dum duo ex clero eius, id est Festus diaconus et Desiderius lector cognovissent, quia beatus Januarius episcopus carceri fuisset mancipatus, inflammati spiritu sancto statim exeuntes de civitate Beneventana venerunt in civitatem Nolanam, ubi sanctus Januarius episcopus ab impiissimo Timotheo vinculis tenebatur. Aiebant flentes et dicentes: quare talibus ac tantus vir tenetur in vinculis? Quid enim criminis admisit? Ubi enim non subvenit pluribus? Cuius ab eo eger visitatus non statim salvatus est? Quis ad eum tristis advenit, et non gaudens discessit? Vox eorum ubi ad iudicem perlata est. Quod dum Timotheus iudex audisset, cum summa festinatione iussit eos teneri.